



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. In Galiis species quædam electionum servata est. Nam Princeps electionem fieri concedebat. Dein, electione facta, facultates Ecclesiæ committebat dispositioni electi, suisque literis ad ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

II. Adferuntur verba Hincmari, quibus respondet inepit quorundam sermonibus, qui eligendum illum dicebant quem Rex vellet. At autem, in electione Episcoporum assensionem Regis esse, non autem electionem, que pertinet ad Episcopos.

III. Au præterea Hincmarus Bellovacenses amisisse jus electionis, quoniam tres incongruos elegerant, ab Episcopis postea reprobatis. Vixit autem auctoritate canonis Laodiceni.

IV. Eodem sensu canonem illum explicuerat idem Hincmarus in epistola ad Bellovacenses. Ob electionem indigni, jus eligendi devolvitur ad Metropolitanum.

V. Attamen Rex Ludovicus non cessit monitis Hincmari; sed Odacri electionem pertinaciter propugnare adversus Hincmarum.

VI. Idem Hincmarus aperit docet alibi quidnam Principi competat in electione Episcoporum, consensus videlicet.

VII. Describuntur ritus electionum, prout obtinebant aro Ludovici Pij & Karoli Calvi.

I. SED in Galliis constantia Episcoporum factum est ut species saltem electionum, etsi non vis integra, permaneret; temperata regia auctoritate, & conciliata, quantum fieri potuit, cum jure canonico.

Quænam essent Ecclesiæ & Principis partes in electionibus, post Capitulare Ludovici Pij, juxta illius sententiam eleganter docet synodus congregata anno DCCCLXXXI. apud martyrium sanctæ Macræ, in literis quas per Episcopos transmisit ad Ludovicum III. Regem, cujus verba recitat Hincmarus in epistola duodecima editionis Sirmondi. Sed prius ponenda est species. Vacante Ecclesia Belvacensi, clerus & plebs elegit Fromoldum, insipientem & improbum hominem, quem synodus sibi oblatum repulit. Clerus verò & plebs ejusdem Ecclesiæ in Odonis eo munere indigni personam decreto suo consensit, quam ab ista synodo probari contendebat. Rex Ludovicus non solum consensum suum adhibuerat, sed Odonem quoque suggererat eligendum. Synodus autem veruata Episcoporum jura industric accersit, Metropolitanum & Episcopis provincialibus electionem deberi, consensum verò clero & plebi. Ad Principem duo pertinere. Tum ut electionem fieri petentibus clero & plebi concedat. Tum, electione facta, ut facultates Ecclesiæ, quæ sub illius sunt tuitione, electi dispositioni committat, suisque literis ad Metropolitanum & coepiscopos ordinandum transmittat. Hæc sunt verba literarum synodi de causa Belvacensi apud Hincmarum: *Vt sicut sacre leges & regule præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis conlimitanearum dioceseon electionem concedere dignemini; ut undecunque, secundum formam regularem electionis, Episcopi talem eligant qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & regno proficius, & vobis si-*

delis ac devotus * cooperator existat; & consentientibus clero ac plebe eum vobis adducant, ut secundum ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum Dominus vobis commendavit, sue dispositioni committatis, & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum ac coepiscopos ipsius dioceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis, & sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium provehatur.

* Vide lib. 2. Capitular. c. 1. 1099. lib. 4. cap. 7. 57.

II. Ceterum respondet Hincmarus inepit quorundam sermonibus, qui eligendum illum dicebant quem Rex vellet: Nam si quod à quibusdam dicitur, ut audiri, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi & clerus ac plebs eligere quem vos vultis & vos jubetis, (quæ non est divina legis electio, sed humane potestatis extorsio) si ita est ut dici à quibusdam audiri, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit, & inde illos eiecit, per tales adulatorum in aures vestras hæc sibilat; quia hoc in Scripturis tam veteris quam novi Testamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus à Christianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum invenitur; sed talia dicta infernus evomuit. Mox: Sic enim atavus vester Carolus & abavus Ludovicus Imp. intellexerunt. Et ideo in libro primo Capitularium suorum promulgaverunt scribentes. Adducit caput LXXXIV. cui subjungit decretum Celestini & canonem XLII. Laodicenum; & mox concludit: *Attendendum est igitur qualiter hoc imperiale capitulum sacris regulis & antiquorum Imperatorum legibus congruat, ostendens quoniam sicut & leges & regula dicunt, in electione Episcopi assensio Regis sit, non electio, in Episcoporum vero executione sit electio, sicut & ordinatio. Solum assensum tribuit Regi post electionem, ut fecerat Florus.*

III. Quoniam verò Rex gratissimum Belvacensi Ecclesiæ Odacrum esse Hincmaro scripserat, respondit iste Belvacenses decidisse à jure electionis, quoniam tres incongruos elegerant ab Episcopis postea reprobatis. *Perdiderunt, inquit, electionem, sicut offensum est illis in synodo, & per sacras regulas, non ulterius illorum, sed Episcoporum esse electionem, quam non præire, sed subsequi, & non se ab ea debere excidere. Et nunc contra regulas & leges, sine Visitatore præsumserunt electionem.* Cùm ex Laodiceno canone didicissent Episcopi electiones judicio Metropolitanum & provincialium Episcoporum committi, alium verò usum inductum viderent, nempe ut electio prius fieret à clero & à plebe, conabatur synodus apud sanctam Macram, exemplo Cabilonensis Concilij